

**Dissertatio medica inauguralis, de inflammatione : quam annuente summo numine : ex auctoritate reverendi admodum viri, D. Joannis Gowdie Academicici Edinburgenae Praefecti : nec non amplissimi senatus academici consensu, et nobilissimae facultatis medicae decreto : pro gradu doctoratus, summisque in medicina honoribus et privilegiis rite et legitime consequendis, / eruditorum examini subjicit Bryanus Wade, Hibernus.**

## **Contributors**

Wade, Bryan, active 1756.  
Gowdie, John, 1682-1762.  
University of Edinburgh.

## **Publication/Creation**

Edinburgi : Apud G. Hamilton, & J. Balfour Academiae Typographos, MDCCCLVI [1756]

## **Persistent URL**

<https://wellcomecollection.org/works/vhj9up4y>

## **License and attribution**

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection  
183 Euston Road  
London NW1 2BE UK  
T +44 (0)20 7611 8722  
E [library@wellcomecollection.org](mailto:library@wellcomecollection.org)  
<https://wellcomecollection.org>

DISSERTATIO MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
INFLAMMATIONE:

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

*Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri*

D. JOANNIS GOWDIE,

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

*Amplissimi SENATUS ACADEMICI consensu,*

*Et nobilissimae FACULTATIS MEDICAE decreto;*

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS ET PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

BRYANUS WADE, HIBERNUS.

Ad diem 30 Aprilis, horâ locoque solitis,

*Mobilitate viget, — — —*

VIRG.

EDINBURG'I:

Apud G. HAMILTON & J. BALFOUR

ACADEMIAE TYPOGRAPHOS.

M,DCC,LVI.



G U L I E L M O   E T  
G E O R G I O   C O N N E R,  
A R M I G E R I S ;

E T

Rev. H E N R I C O   C O N N E R,  
A V U N C U L I S   S U I S   C H A R I S S I M I S ,  
M A X I M E Q U E   H O N O R A N D I S .

**T**Andem aliquando advenit tempus, diu mul-  
tumque desideratum, ardentiſſimisque votis  
expetitum, cum mihi liceat gratias publicas  
vobis reddere, ob multa vestrā beneficia, forsan  
immerito, in me collata. Ad pedes itaque vestrōs  
depono, vestrō patrocinio fretus, hoc meum par-  
vum remunerationis pignus, quod vobis offertur,  
tanquam amoris monumentum, nullis encomiis lau-  
dibusve meritis ornatum, ut meam erga vos obser-  
vantiam publice testificarer, atque me, meaque stu-  
dia, vobis commendarem: lubentissime tamen cam-  
pum vestrarum laudum ingrederer, sed non minus  
obstat nostrum inops et pusillum ingenium, quam  
vestra modestia. Hoc enim plane eximum et fin-  
gulare vobis datum est, quod non acrius conten-  
datis laudem mereri, quam oblatam enixe decli-  
netis. Valete, et credite me esse, semperque fore,  
cum maxima observantia, obsequio et amore, vo-  
bis devinctissimum.

B. W A D E.

Digitized by the Internet Archive  
in 2019 with funding from  
Wellcome Library

DISSE<sup>R</sup>TAT<sup>I</sup>O MEDICA  
INAUGURALIS,  
DE  
INFLAMMATIONE.

INFLAMMATIO Latinorum, φλέγμων,  
I seu φλόγος Graecorum, quasi ignis  
effectus, atque τὸ πῦρ, ipse *ignis* HIP-  
POCRATES, est morbus, qui calorem  
praeternaturalem habet, cum dolore,  
tumore, rubore, renixu, et febre ple-  
rumque comite; atque in partibus,  
inflammatione magna correptis, ca-  
lorem, maxime auctum esse docent  
Thermometra.

VETERES

VETERES medici, plurimis morbis, quorum causae, minus iis elucebant, ex eorum phaenomenis, nomina imposuere. Hinc verbum φλέγμων omni generi inflammationis, sine discrimine, applicabant ; dum causam hujus mutationis in corpore, ab igne provenire existimabant. A quo, vel saltem aucto calore, omnia inflammatio-  
nis signa, accidere possunt.

INFLAMMATIO sedem suam habet in omnibus partibus corporis, ubicunque arteriolae, retis instar, distribuuntur.

### C A U S A E.

CAUSAE GENERALES INFLAMMATIONIS SUNT DUAE. 1. OBSTRUCTIO. 2. ACRE IRRITANS.

I. OBSTRUCTIO, quae duobus modis inflammationem producere potest.

PRIMO,

PRIMO, Distrahendo tunicas vasorum obstructorum, quod dolorem excitat ; unde vibratoriis contractionibus minimorum vasculorum auctis, augetur calor, atque fluxus humorum copiosior, ad partem affectam determinatur.

SECUNDO, Quando materia obstruens acris reddita, vasa stimulat, in quibus praeclusa haeret. Sed tamen observandum est, quod haec materia obstruens, (quamdiu causae duae, supra memoratae, scil. acrimonia, et nimia distractio vasorum absunt) haud quaquam inflammationem producere potest. Hinc, quantum interesse, inter obstructiones sine dolore, (quales sunt schirrhi) et inter obstructiones, cum inflammatione, facile patebit : in priori enim casu, vasa obstructa, minime irritari videntur ; in posteriore vero,

vero, ab acrimonia materiae obstruens, vel a distractione nimia, maxime vellicantur.

## II. ACRE IRRITANS.

DUM aliquod acre vasis, cujusvis partis sensibilis, applicatur, inflammationem, imo sine obstructione pрагressa, producere potest; quod luculentius apparebit sequenti exemplo: si vesicatoria et sinapismi acres cuti applicati essent, vel si vapores acres spiritus vinosi, vel corn. cerv. in oculum reciperentur, quam citissime inflammationem inducunt. Globuli sanguinis rubri, vasa serosa introire coguntur, atque, errore loci, oritur obstructio; in quo genere inflammationis, obstructio et error loci, qui sunt, pro inflammationis causa, vix habendi sunt; sed causa hujus inflammationis,

tionis, majore cum veritate, debetur  
oscillatoriis contractionibus minimo-  
rum vasorum auctis, quae hunc vaso-  
rum distensionem ab obstructione, una  
cum inflammatione, producunt. At-  
que ex hoc fonte etiam deducenda est  
ratio, cur nihil talem inflammatio-  
nem et obstructionem adeo insigniter  
minuit, ac fomenta et cataplasmata e-  
mollientia; haec enim, irritationem  
atque sensum doloris mitigando, ve-  
hementes motus vibratorios minimo-  
rum vasorum citissime sedant; quae  
observata sunt a clarissimo et erudi-  
tissimo hujus Academiae Professore  
**D. Whytt**\*.

HIS igitur, de causis generalibus  
inflammationis, dictis, proxime de  
causis, quae corpus nostrum inflam-  
mationibus,

\* Physiological essays, p. 47.

mationibus, magis obnoxium reddit,  
verba faciemus.

AD sanitatem conservandam, voluisse naturae videtur, ut certus et determinatus cohaesioneis et elasticitatis gradus, in solidis, atque densitatis in fluidis adesset; ex quo statu, vel levis aberratio, morbum producere posset, talem exactissime servare, adeo difficile est, ut merito **GALENUS** dicit\*, “ Nemo sanus dici potest.”

Quo rigidiora et magis elastica sunt solidia, eo majori vi, in contenta fluida agunt ; a motu et attritu aucto, augetur calor, dissipantur et a volant partes fluidorum tenuiores, et magis aquosae, atque globuli rubri sanguinis, caeterique omnes humores magis densi, viscidi, et acres fiunt; quo valde inepti

\* De sanitat. tuend. lib. 1. cap. 5.

inepti evadunt, per ultimas fines arteriarum transfire; unde obstrukiones et inflammations facillime oriri queant.

TALI habitu, gaudent homines corporis pleni et maxime robusti, qui laute vivunt, et multum exercitantur; unde HIPPOCRATES \* talem <sup>εὐεξίαν</sup> periculosam pronunciabat, idemque monuit CELSUS \*: “ergo, si plenior alii quis et speciosior, et coloratior factus est, suspecta habere bona sua debet.” Atque experientia quotidiana docet, tales homines in morbos inflammatorios magis proclives esse: quo igitur solidis major elasticitas, atque fluidis major densitas adest, caeteris paribus, corpus erit plus inflammationibus obnoxium, atque inflammatio ab iisdem causis major erit: e. g. Si vesicatoria homini fano et robusto applicata essent,

post

\* Ap. 3. § 1. . + Lib. 2. cap. 2.

post paucas horas, magnam inflammationem producunt, quae in homine maxime debilitato, et fere moribundo, saepe parum aut nihil agunt.

QUAMVIS variae sunt causae remota, quae obstructionem et inflammationem in vasis nostris producere possunt, tamen ex dictis patet, causam proximam omnis inflammationis tantum esse unam; scil. vasorum vel nervorum, partis alicujus irritationem insolitam, sive haec oriatur ab eorum nimia distensione, sive acri quodam iis applicato. Quandocunque autem in parte quavis nervosa sedem habet inflammatio, a dolore inde orto, totum systema nervosum cito afficitur, unde cor et arteriae magis irritabiles redduntur; dum interim sanguis ab inflammatione vitiatus, cor solito fortius stimulabit. A quacunque

que causa oriatur motus in corpore praeternalis, calor erit auctus ; unde fluida, spatum majus occupantia, et celerius mota, vasa distendunt, globuli rubri vasa serosa ingredi coacti sunt, oriturque obstructio ; a distentis vasis provenit tumor et renixus, a distractione nervorum fibrillarum dolor, atque rubor, ab ingressu globulorum rubrorum.

EXITUS inflammationis, proxime considerandi, sunt quatuor; scil. resolutio, suppuratio, gangraena, schirrhus.

### R E S O L U T I O.

QUANDO nempe a vita superstite, et idoneis remediis adhibitis, immeabilis materia, in vasis obstructis ha-

B

rens,

rens, sic solvitur; vel vasa in quibus haeret sic disponuntur, ut transire possit illud immeabile in venas, vel retro-pelli in vasa majora, nihil mali interim superveniente, et integritate vasorum manente; adeo ut liber circuitus humorum per vasa antea impervia restituatur, et concretum fluidum nunc solutum, humoribus circulantibus mixtum, sine impedimento transire possit per illas angustias, quas in fano statu pervadere debuit. Ubi haec accidunt, per resolutionem sanatur inflammatio.

## S U P P U R A T I O.

CUM resolutioni non cedit inflammatio, sed a materia immeabili impacta haerente, tandem vasa rumpuntur, quorum liquores effusi, et vivis partibus separati, a calore loci solvuntur, et sub-putrefcere quasi incipiunt, immeabile fluidum,

fluidum, in finibus extremis vasorum separatis haerens, ab iisdem causis incipit solvi; atque etiam solidae partes tenerrimae, ubi antea haerebat hoc immeabile obstruens, atteruntur, dividuntur, et cum liquidis effusis, mora et calore mutatis, abeunt in homogeneum liquorem, quod *pus* vocatur, inflammationi exitum alterum exhibens. Unde **GALENUS** \*, de febribus agens, quando in urina, sedimentum dotibus pus referens, videbat, pro bono signo habuit, indicanti scil. materiam morbosam solutam, et e corpore eliminatam.

### G A N G R A E N A.

QUANDOCUNQUE influxus et refluxus liquidi vitalis, parti inflammatae denegantur, fit istius partis vera mors, alter inflammationis exitus; inter quem

\* De febrib. lib. 1. cap. 7.

quem et suppurationem, hoc interest,  
quod in priori, a vasis subito ruptis,  
citissime sistitur, omnis humorum  
motus; in posteriori vero, sensim fit.  
**Gangraenae** igitur tales superveniunt  
mutationes, quales, ab iisdem causis  
accidere solent cadaveri: inflammatio  
vero, in gangraenam, praesertim trans-  
ire videtur, quando humores vitiati  
admodum sunt, et simul valde moti.

### S C H I R R U S.

Si inflammatio partem glandulo-  
sam occuparet, emissaria glandularum  
obstruendo, liquor per harum fabricam  
secretus exire non poterit, qui mora et  
stagnatione inspissatus, et liquidissima  
parte spoliatus, cava, vel inexplicabi-  
lem earum vascularem compagem re-  
plebit atque distendet; oritur tumor  
durus, indolens, qui *schirrus* vocatur,  
quartam

quartam terminationem inflammationi  
praebens.

AD curam quod attinet nunc dicen-  
dum est.

OMNI morbo, in sanationem, alium  
morbum, vel mortem, exeunte ; medi-  
corum est, sanationem quam citissime  
moliri, ne malum ulterius proserpens  
irresolubile fiat : atque hic, vetus pro-  
verbium, *principiis obsta*, notatu dig-  
nissimum est.

INFLAMMATIONEM ergo curaturus,  
ad indicationes tres sequentes respicere  
debet. Cavendum est,

imo, NE vasorum irritatio, disten-  
sio, et dolor longius serpentatque pro-  
grediantur.

2do, UT praefentes tollantur.

3tio, UT materiae obstruenti fluiditas concilietur.

PRIMO, Minuatur impetus humorum, per sanguinis missionem, in quo educendo, semper habenda est ratio virium aegri, et magnitudinis mali. Venae sectionem, purgationem alvi statim sequi, oportet ; talibus medicamentis exhibitis quae motum non augent, simulque humores solvunt ; ut crem. tart. fol. sennae, tamarindi, &c. quo nihil plus conducit ad minuendas circulationis vires\*. Vesicantia, in parte ab inflammatione remota, etiam hic multum valere, experientia docet†; praecipue quae cantharides recipiunt : haec non solum fluxum uberiorem humorum ad partem

\* Sydenham. sched. monit.

† Dr. Whytt's physiological essays, p. 68.

tem aliquam eliciunt, sed attenuanti etiam vi pollent; praeterea, dum in una parte dolorem excitant, minuitur iste in parte inflammata \*.

SECUNDO, Ut tollatur dolor praefens, praeter remedia supra memorata, maxime etiam conveniunt emollientia et laxantia omnia, ut vapores aquae tepidae, et lactis, similiaque, quae renixum vasorum magnopere minuunt.

A NODYNA, quae tollunt doloris irritationem, et contractiones vibratorias vasorum: ut variae papaverum et opii præparations, quae sic adhiberi possunt, ut vel levissime sensuum acumen obtundant, vel, aucta dosi, somnum fati profundum inducere possint. Sic saepe accidit, dum minori dosi haec remedia exhibentur; quod dolorem, nullo

\* Hippocrat. aph. lib. 2. § 46.

nullo inducto somno, mitigent, dum pacatissima, menti et corpori nascitur quies, doloris dulce lenimen. Atque similia remedia, externe, loco dolenti applicata, insigne levamen adferunt ; fomentis et emollientissimis cataplasmibus, non alienum igitur erit, ut simul addantur solani, hyoscyami, cynoglossi, et similiū folia ; his lenitur dolor, praecavetur febris, ejusque varii effectus, qui dolores magnos frequentissime concomitantur ; atque motus humorum nimius, (a quo gangraena metuenda esset, vel si in parte glandulosa, immedicabilis schirrus), his sedatur.

OBSERVANDUM autem est, quod in inflammationibus, praesertim validioribus, opiata et vesicatoria vix adhibenda sint, antequam vires circulationis per sanguinis missionem minutae fuerint

fuerint, vasaque corporis satis depleta.  
In opiatibus administrandis, summam cu-  
ram habere medicum oportet, ne, per  
doloris cessationem, esset deceptus,  
dum interim forte maxima vi vigeat  
inflammatio dolosa.

TERTIO, Ut fluiditas materiae ob-  
struenti conciliaretur: huic indica-  
tioni inserviunt omnia aquosa, di-  
luentia, tepide hausta, cum acidis  
et acescentibus, ut serum lactis pa-  
ratum ex succis horaeis, scil. pomo-  
rum, limonum, aurantiorum, &c. De-  
cocta avenae, hordei, et similes pti-  
fanae cum usu frequenti nitri et spiri-  
tus mindererit in parvis dosibus, quo-  
que proderunt.

Neque praetereundum est interim,  
quod sanguis, si diutius quiescat, in  
concretionem abire, valde pronus sit;

et quidem eo magis, quo fortior est homo: concretio, in ultimis arteriis, non solum sensim augetur, sed omnia inflammationis symptomata, quae a distensione nimia vasorum, evenire potuissent, majora fiunt. Motus igitur, atque mutatio particularum, ex quibus componitur sanguis, ad servandam ejus fluiditatem, maxime requiruntur. Irritatione atque dolore, per venaefectionem, purgantia, caeteraque remedia prius memorata, lenitis; non alienum erit, talia exhibere, quae sanguini mista, et per canales vasorum circumducta, blando stimulo, fibras vasorum in contractiones frequentiores irritare possint. Moleculis obstruentibus sic attritis et divisis, facilior transitus per angustias vasorum conceditur. Huic autem scopo inserviunt omnia quae vi aromatica lenissima gaudent. Haec larga aquae copia infusa, potum aegro idoneum

idoneum suppeditare possint. Hujus generis sunt folia tussilaginis, quinque radices apperientes, petroselinum, althaea, scabiosa, et pleraque similia: quibus addantur, parva quantitate, ligna santalorum, sassafrae, &c.

DUM haec autem ingeruntur, ut illorum efficacia versus partem affectam determinetur, necesse erit, fomenta et frictiones lenes adhibere, quae, alternae contractionis, et relaxationis vicem gerant.

QUOTIES inflammatio, nec ope naturae, nec medicamentorum, resolvitur; vel transit, ut supra dictum est, in abscessum, gangraenam, vel schirrum, ad quorum curam proxime progrediendum esset, nisi hoc vetarent angusti hujus dissertatiunculae limites.

АЯЗУАІРЭНЭ

ДИСЕРТАЦИЯ МДІСА

ДАЯНДАНГ

АЯЗУАІРЭНЭ